

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI» *De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (6)*

2.3.7. De rebus aedificatoriis primorum annorum

Ab initio consociationis fundatae Ottiliani necessitate coacti praeter alios labores multiplices multum incubuerunt in aedificandum. Quae actiones et ad vetera aedificia restauranda amplificandaque et ad nova aedificia exstruenda spectabant. Nam numero monachorum, sanctimonialium, cooperatorum alumnorumque crescente et copiā officiorum propositorumque auctā indigenita locorum aptorum semper exstabat. Itaque primo temporis spatio historiae Ottiliensis ad finem perduto spectare volumus, quomodo aedificatoriae condiciones externae illo tempore se habuerint atque paulatim mutatae sint.

2.3.7.1. *De castello Ambingensi*

Primum aedificium - uti iam commemoratum est¹ -, quod P. Andreas Amrhein mense Nov. a. 1886ⁱ Ambingae emit, erat castellum Ambingense, quod dicitur.² Haec domus, cum fratres sororesque ex loco Richopagensi transmigrarent, primum aedificium monasteriale instituebatur. Tamen nomen, quod est castellum, illo tempore revera non iam ita conveniebat, quia hōc aedificium satis neglectum erat.³

Ibīdem autem primo spatio temporis fratribus atque sororibus aliquatenus


¹ Cfr supra cap. 2.3.1.

² In excerpto catastri* anno 1814° facto primā vice etiam leguntur numeri aedificiorum. Castellum autem ibīdem numerum sextum habuit. - Cfr Leander BOPP: Zur Geschichte des Weilers Emming (s.a.), p. 27 [typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum]. -

^{*)} DUCANGE II, p. 222: catastrum, -i n.: Codex in quo recensentur bona, possessiones, possessorum nomina, census, impositiones etc. - Cfr Christian HELFER: Lexicon Auxiliare. Saraviponti ³1991, p. 303.

³ Ut ex historiā viculi Ambingae inde ex saeculo quarto decimo usque ad finem saeculi undevicesimi perductā apparet, non solum ipsum praedium castellumque, sed etiam domūs rusticæ subiunctae saepissime alios possessores habuerunt. Erant autem in summa circiter viginti sex possessores praedii Ambingensis, ex quibus tantummodo tres aliquatenus diutius praedium tenuerunt, nempe familia Perfall (1507-1570, 1589-1622), familia Füll (1684-1756), familia Krempelhuber (1780-1851). Et talibus condicionibus omnino variabilibus periti concludunt Ambingam numquam fuisse possessionem pretiosam. - Cfr imprimis Leander BOPP: Emming (s.a.), pp. 1 sqq.; Georg KREMPELHUBER: Entwurf zur Familiengeschichte «v. Krempelhuber auf Emingen» (1990), cap. 10 [typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum (ASO, A.14.3)].

habitandum erat. Itaque, ut oeci ad usum monasteriale quadamtenus adaptarentur, quaedam opera structoria efficienda erant, quae ad mutationes et ad restauraciones spectabant.⁴ Sic non solum quidam parietes perfodiebantur,



Castellum Ambingense cum cappella Sanctae Ottiliae.
[Frumentius RENNER: Eresing mit St. Ottilien (2¹⁹⁸²), p. 451.]

fores transponebantur, novae fenestrae muris imponebantur, sed etiam camini restituebantur, fornaces ponebantur atque oeci dealbabantur. Sed haec omnia fieri debebant, quamvis penuria pecuniae vigeret.⁵ Satis bene autem asservata erat castelli pars, quae in latere occidentali cappellae Sanctae Ottiliae adiuncta erat.⁶ Castelli vero aedificium in futurum appellabatur domus Sancti

⁴ Cfr Maria HILDEBRANDT: Lebendige Steine. St. Ottilien 2008, p. 30.

⁵ Maria HILDEBRANDT (2008), p. 30 refert Ottilianos illo tempore operariis Italibus auxiliantibus läterēs coquere conatos esse. Tamen hōc conamen non nimis bene evēnit, quia materia, quam adhibuerunt (id est turfa), ad talia facienda non nimis apta erat.

⁶ Est illa pars, quae hodiernis temporibus adhuc exstat et quae videtur primum castelli aedificium fuisse. Nam annis ab 1570^o usque ad 1572^{um} sub Iohanne Burchardo von Heimhofen ad Sanctae Ottiliae cappellam, quae illo tempore iam exstitit, castellum adstructum est. - Cfr Franz Julius TSCHUDY / Bernhard SIRCH: Die heilige Ottilie, ihr Leben und ihre Verehrung. St. Ottilien 1989, p. 27; Medard BARTH: Die Heilige Odilia. Schutzherrin des Elsaß. Ihr Kult in Volk und Kirche. Straßburg 1938, 2, p. 101; Frumentius RENNER: Eresing mit St. Ottilien. In: Bernhard MÜLLER-HAHL (ed.): Heimatbuch für den Landkreis Landsberg am Lech. Landsberg 2¹⁹⁸², p. 451; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 17.

Michaelis.

Illo tempore domus Sancti Michaelis erat aedificium principale consociationis. Intrinsecus autem dispositum erat hunc in modum:⁷ pedeplanis in parte



Castellum ex latere septentrionali receptum.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 31.]

orientali situs erat oecus communis fratrum, in quo iidem interdiu versabantur et in quo etiam comediones praebebantur. Illo in oeco constituta quoque erat fornax ferrea, quā oecus factus est unicus locus, in quo fratres aliquate-

⁷ Cfr Heidenkind 3, 1890, p. 123; Leander BOPP: P. Andreas Amrhein O.S.B. Der Gründer der Benediktinerkongregation St. Ottilien. St. Ottilien 1954, pp. 140 sq.; Frumentius RENNER: Der fünfarmige Leuchter. I. St. Ottilien 1979, pp. 87 sq.; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 29 sq.; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 6 [typoscriptum in archivo Ottliensi asservatum]. - Ex inventario die 13° m. Febr. a. 1819° composito comperitur, quot et qualibus conclavebus antea castellum instructum fuerit. Legitur autem in pedeplanis fuisse a dextris duo conclave, similiter a sinistris duo, praeterea culina cum cella penaria, denique parvum conclave iuxta loca secreta. In primo tabulato inveniebantur cenatio iuxta cappellam sita, oratorium, cubiculum, iuxtapositum conclave infantium, parvum cubiculum quoddam, conclave studentium, quod dicebatur, cubiculum quoddam maius, conclave angulare ad meridiem directum, conclave angulare ad septentrionem directum. De «oeco equitum» in illa descriptione nihil commemoratur, quamvis idem illo tempore iam exstiterit. - Cfr Leander BOPP: Emming (s.a.), pp. 9 sq.; Georg KREMPELHUBER: Familiengeschichte (1990), cap. 10 (ASO, A.14.3).

nus calefieri potuerunt. In primo tabulato P. Andreas Amrhein conclavia sua habuit, id est conclave, in quo habitavit, atque iuxtaposita et conclave receptorum et conclave hospitum. Ante illa eius conclavia erant cancelli ferrei, qui clave claudi potuerunt. Hōc modo P. Andreas Amrhein clausuram servare atque possibilitatem habere voluit, quā laborare posset condicione non perturbatā. Immediate supra conclavia P.ris Andreae Amrhein in secundo



Lacunar «oeci equitum».

tabulato situs erat «oecus equitum», qui dicitur. Ille oecus, qui opere albārio⁸ Vassobrunnensi⁹ ornatus est,¹⁰ erat in usū ut locus, quo fratres ad sessiones


⁸ opus (-eris n.) albārium: *Stuck.* - Cfr ThLL I 1487,84-1488,15; Christian HELFER: Lexicon Auxiliare (³1991), p. 536.

⁹ Vassobrunnensis Abbatia: *Wessobrunn.* - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER: Bavaria Latina. Lexikon der lateinischen geographischen Namen in Bayern. Wiesbaden 1971, p. 239; GRAESSE / BENEDICT / PLECHL: Orbis Latinus. Lexikon lateinischer geographischer Namen des Mittelalters und der Neuzeit. Braunschweig 1972, 3, p. 668.

¹⁰ Opus confecit anno 1701° Iohannes Schmuzer Vassobrunnensis, qui unā cum Casparo Feichtmayr nominatur fundator «scholae Vassobrunnensis», quae dicitur. Oecum autem ornandum curavit Udalricus von Füll occasione nuptiarum suarum. - Cfr Medardus BARTH (1938), 2, p. 101.



Opus albarium in «oeci equitum» lacunaris parte anteriore.



Opus albarium in «oeci equitum» lacunaris parte posteriore.

conventūsque convenienterent. Illuc verisimiliter circiter annum 1888^{um} etiam magnum armarium librorum transpositum est,¹¹ quo illius temporis «bibliotheca» Ottiliensis continebatur.¹²

Sororibus autem in castelli latere occidentali locus habitandi separatus instituebatur. Ibīdem pedeplanis sitae erant culina atque cenatio, in primo tabulato inveniebantur conclavia superiorissae et conclavia aegrotis, specialibus laboribus et similibus rebus destinata, in tabulato subtegulaneo oecus dormitorius instructus erat.¹³ Tamen omnia satis angusta erant atque illis annis initialibus fratres sororesque semper indigentia loci laborabant.¹⁴

2.3.7.2. *De cappella Sanctae Ottiliae*

Ambinga P.ri Andreae Amrhein ad fundationem suam extendendam etiam eā de causā tam desiderabilis esse videbatur, quia ibīdem ecclesiola quōque sita erat. Eadem autem in totius areae summo loco paululum acclivo collocata est.

Origo autem huius ecclesiolae est satis vetus. Cum ibīdem iam pridem locus peregrinationis piae inveniretur, quo veneratio Sanctae Ottiliae colebatur,¹⁵

¹¹ Illud armarium unā cum libris tempore transmigrationis ex loco Richopagensi Ambingam translatum est atque primo in tabulato subtegulaneo domūs Sancti Gabrielis collocabatur. - *Cfr* Beda DANZER: Geschichte der Bibliothek (s.a.), p. 2 [manuscriptum in archivio Ottiliensi asservatum (ASO, A.12)]; Longinus KAPLER: Die Geschichte der Bibliothek (s.a.), p. 1 [typoscriptum in archivio Ottiliensi asservatum (ASO, A.12)].

¹² Non solum ipsum monasterium, sed etiam eius bibliotheca ex minimis initii exorta est, ut bibliothecarii, qui in eius historiam incubuerunt, asseveraverunt. P. Andreas Amrhein ad fundationem suam septendecim opera (quae undeviginti voluminibus missali atque breviario inclusis continebantur) attulerat. Tempore Richopagensi itaque bibliotheca constituit ex centum viginti duobus operibus (quae ducentis voluminibus continebantur), quae maximā ex parte dono accepta erant. - *Cfr* Beda DANZER: Geschichte der Bibliothek (s.a.), pp. 6 sq. (ASO, A.12); Longinus KAPLER: Die Geschichte der Bibliothek (s.a.), p. 1 (ASO, A.12).

¹³ *Cfr* Leander BOPP (1954), p. 213; Bernita WALTER: Von Gottes Treue getragen. St. Ottilien 1985, p. 74.

¹⁴ Hōc iam expressis verbis dicitur in descriptione, quae de aedificiis Ottiliensibus in periodico, quod est «Infans paganus» [«Heidenkind»] 3, 1890, pp. 123 sq. exhibetur. - Angustiae locorum atque indigentia pecuniaria etiam commemorantur in symbola, quae die 6^o m. Apr. a. 1889 in periodico, quod est «Monacensis pagina peregrinorum» [«Münchener Fremdenblatt»], divulgabatur. (Textum affert Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 30 sq.).

¹⁵ *Cfr* supra cap. 2.3.1, adn. 30.

propter multos homines peregrinantes in fine saeculi tertii decimi vel in initio saeculi quarti decimi haec parva ecclesia Sanctae Ottiliae dicata exstructa est.¹⁶ Originalis forma huius cappella erat gotica.¹⁷ Intrinsecus videntur illo tempore parietes imaginibus opere tectorio pictis ornati fuisse.¹⁸ In altari principali iam illo tempore (sicuti usque ad hodiernum diem) constituta erat figura gotica Sanctae Ottiliae, quae a sinistris ab Sancta Margarita, a dextris



Figura gotica Sanctae Ottiliae, quae in altari principali cappellae invenitur.

ab Sancta Barbara (similiter figuris gothicis) comitabatur. Altaria lateralia Sancto Floriano atque Sancto Bartholomaeo dedicata erant.

¹⁶ Documento autem anno 1365^o conscripto et locus peregrinationis, ad quem multi homines etiam ex longinquu venire solebant, et ipsa ecclesia commemorantur. - *Cfr* Medard BARTH (1938), 2, p. 101; Frumentius RENNER: Eresing. *In:* Bernhard MÜLLER-HAHL (ed.) (1982), p. 450.

¹⁷ *Cfr* Medard BARTH (1938), 2, p. 101; Franz Julius TSCHUDY / Bernhard SIRCH (1989), p. (I); Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 87 adn. 92; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 33. - Ceterum ex primā investigatione dendrochronologicā m. Augusto a. 2005^o factā apparuit pinea tigna tecti supra capsum constructi ex anno 1476^o exorta esse. *Cfr* prima relatio investigatorum: Georg BRÜTTING: Dendrochronologischer Bericht St. Ottilien Kapelle (1), p. 1 (ASO, A.14.3).

¹⁸ Particulae talium imaginum iuxta arcum chori inveniebantur, cum anno 1947^o cappella reficeretur, similiter anno 1967^o aliis in locis cappellae infra harenationem talia animadvertebantur. - *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 33.

Decursū saeculi septimi decimi deinde mutationes factae sunt. Primo illius temporis possessor Bernhardus von Gemmingen turriculam tenuem cum tectiolo cepiformi tecto cappellae superponendam curavit, quā hodier- nis quōque temporibus ecclesiola est insignis.¹⁹ In huius turriculae murum orientalem inscriptus est annus 1627^{us}.²⁰

Sed in fine saeculi septimi decimi etiam interior ornatio cap- pellae mutata est. Nam post- quam anno 1684^o Udalricus von Füll praedium Ambingense emit, eccesiolam genere baro- co reficiendam atque instruen- dam curavit. Imprimis tota concameratio chori atque arcus chori barocis ornamentis pulch- ris opiparisque afficiebantur. Quae opera effecta sunt nisi ab ipso Iohanne Schmuzer tunc saltem ab opificibus eius offici- na e V a s s o b r u n n e n s i s .²¹ Hunc in modum



*Turricula supra tectum cappellae
Sanctae Ottiliae.*

¹⁹ Constructionem subtegulaneam capsī iam exstis- se, cum turricula superponeretur, etiam apparet ex investigationib⁹ mense Augusto a. 2005^o factis. - *Cfr* Georg BRÜTTING: Dendrochronologischer Bericht St. Ottilien Kapelle (1), p. 2 (ASO, A.14.3).

²⁰ *Cfr* Franz Julius TSCHUDY / Bernhard SIRCH (1989), p. (I); Frumentius RENNER: Eresing. *In:* Bernhard MÜLLER-HAHL (ed.) (²1982), p. 450; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 87 adn. 92; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 33.


²¹ *Cfr* Medard BARTH (1938), 2, p. 101; Franz Julius TSCHUDY / Bernhard SIRCH (1989), p. (I); Frumentius RENNER: Eresing. *In:* Bernhard MÜLLER-HAHL (ed.) (²1982), p. 450; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 87 adn. 92; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 34, quae etiam suspicatur ipsum distributionis systema, quo repla fenestrarum foriumque circumdata erant atque lacunar partitum erat, iam ab Bernhardo von Gemmingen instructum fuisse et deinde ab opificibus Vassobrunnensibus susceptum atque opipare exornatum esse.

exoriebantur capita angelorum, conchae, serta fructuum atque pampinī acanthonum.



Opus albarium, quo lacunar chori exornatum est.

Haec vero opera anno 1686^o confecta esse videntur, cum hic annus in margine operis albārii sive clipeo²² in interiore arcū chori apposito legatur.



Clipeus, in quo annus 1686^{us} legitur.

²² *Kartusche.*

Altaria autem baroca circiter annum 1691^{um} exarata sunt. Ceterum in septentrionali pariete chori invenītur lapis sepulcralis, quem Udalricus von Füll filiolae suaे Mariae Ottiliae Catharinae sculpendum curaverat, quae puella anno 1696^o tres annos nata vitā functā est. Leguntur autem ibidem praeter alia pulchra verba haec: «*ad Coelos abiit / Othilia / Trium Annorum Filia / Heic suus illi lectulus: / Est inter Casta Lilia / Coelo maturus Flosculus / Currant annorum Millia / Numquam hic Flos marcescat / Dum Virent Coeli Lilia / Othilia Virescat.*»



Lapis sepulcralis Mariae Ottiliae Catharinae von Füll.

In fine decennii noni saeculi septimi decimi ad capellae latus septentrionale denique etiam sacrístia adjuncta est.²³

²³ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 34. - Res autem scitū dignissima comperiuntur ex secundā investigatione dendrochronologicā mense Novembri a. 2005^o factā, quā tectum choro superpositum et tectum sacrístiae atque tectum supra «oecum equitum» investigabantur. Nam unā ex parte apparuit tectum supra chorū constructum esse ex tilia atque fraxino, quae genera lignorum rarissime ad tecta aedificanda adhibebantur. Cum autem chronologiae comparativae talium lignorum nondum extant, exacte dici non potest, quando arbores, ex quibus illa tigna facta sunt, caesae sint. Tamen investigatores putant tectum chori eodem tempore ac tectum capsī (sive paulo ante sive paulo post) constructum esse. Praeterea iidem invēnērunt pinea tigna tecti sacrístiae superpositi exorta esse ex hieme anni 1696/97ⁱ. Denique investigationibus apparuit tectum «oeco equitum» superpositum anno 1694^o confectum esse. Cum vero insigne in

Illis octoginta annis, quibus familia von Füll praedium Ambingense possidebat, etiam cappella Sanctae Ottiliae bene curabatur. Deinde cum possessores saepius atque celerius mutarentur (praesertim saeculo undevicesimo) et iidem plerumque non iam in ipso loco habitabant, cappella quoque magis magisque neglegebatur. Refertur etiam unum ex possessoribus cappellā ut stabulo uti in animo habuisse.²⁴

Anno autem 1865^o cappella saltem partim restaurabatur.²⁵ Illo tempore in altaribus lateralibus figurae goticae amovebantur atque picturis olearii substituebantur, quas imagines Franciscus [Franz] Schelle Landsbergensis pinxerat.²⁶ Unā picturā monstrabatur Sancta Afra, alterā Beata Maria Virgo, quae ut protectrix viculi Ambingae exhibetur.²⁷

Cum praedio ab P.re Andrea Amrhein empto Benedictini missionarii anno

exteriore parte huius oeci annum 1627^{um} monstret, quaestiones quaedam solvendae sunt. Nam duae possibilitates exstant: sive ille lapis insignis ex aliā parte prioris castelli exortus est et postea illi loco insertus est (fortasse ab Benedictinis Ottilianis, cum maiorem partem castelli diruerent) sive suggrundium* illo tempore, quo «oecus equitum» Udalrico von Füll curante exornabatur, recenter quoque constructum est atque lapis in situ originali adhuc est. Tamen periti variis ex causis aedificatoriis putant primam interpretationem esse verisimiliorem. - *Cfr* Georg BRÜTTING: Dendrochronologischer Bericht St. Ottilien Kapelle (2), pp. 1 sq. (ASO, A.14.3).

*) suggrundium, -ī n.: *Dachstuhl*. - *Cfr* DUCANGE VII, p. 628; Christian HELFER: Lexicon Auxiliare (³1991), p. 152.

²⁴ Hoc legitur in relatione, quam Franciscus [Franz] Westner illius temporis parochus Aeresingensis die 17^o m. Febr. a. 1887^o de statū legali Ambingensis cappellae Sanctae Ottiliae interrogatus ad ordinarium Augustanum direxit (ASO, A.14.3). Haec sententia adhibebatur ut argumentum, quo parochus explicuit, cur coniunctionem cappellae Otteliensis cum paroecia Aeresingensi servare vellet. Nam timuit, ne omnibus iuribus traditis aliquando, si consociatio missionaria Ambingam fortasse relinqueret, novus possessor futurus cappellā male uteretur. Ceteroqui ille parochus Aeresingensis domui missionariae vere favit.

²⁵ *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 34; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 87 adn. 92, qui adnotat hanc renovationem feliciter tantummodo partim atque instructione barocā servatā factam esse.

²⁶ *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 34; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 87 adn. 92; Medard BARTH (1938), 2, p. 102 quoque illas imagines commemorat.

²⁷ *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 34; Frumentius RENNER: Leuchter I (²1979), p. 87 adn. 92. - Illā in imagine conspicitur viculus Ambinga ex latere meridionali-orientali, quia hunc in modum in eius anteriore parte villa rustica Baderiana, quae dicitur, bene exhibetur, cum eius possessor Antonius [Anton] Wörle hanc altaris imaginem faciendam curaverat.

1887^o Ambingam venirent, etiam ecclesiola Sanctae Ottiliae, quae eis magni momenti erat, denuo meliora tempora vidiit. Nam postquam P. Andreas Amrhein die 26^o m. Febr. a. 1887^o ab episcopo Augustano licentiam accepit, quā cottidie ibīdem missam celebraret,²⁸ consociatio unoquoque die ad officia divina peragenda illuc convēnit. Illo tempore fratres atque sorores adhuc communiter missam in cappella Sanctae Ottiliae participaverunt. Fratres autem per portam meridionalem cappellam intrabant atque in scannis anterioribus considebant, sorores portā septentrionali usae sunt atque in scannis posterioribus locum suum habebant.²⁹

Ut Ottiliani cappellam ad usum suum adaptarent, non multa erant facienda. Tamen parietes cappellae, cum fuisset locus peregrinationis piae, donis votivis contecti erant - ut traditur³⁰ -, quae maximā ex parte amovebantur. Anno 1894^o vetus organum parvum in cappellā instructum est, quod vero unō annō post iam harmonio substitutum est.³¹

2.3.7.3. *De aedificiis minoribus*

2.3.7.3.1. *De domo Sancti Gabrielis*

Paucis septimanis postquam castellum Ambingense pro consociatione suā acquisivit, P. Andreas Amrhein aliud praedium, quod ad viculum Ambingam pertinebat, ēmit. Agebatur de «praedio Ammeriano», quod dicebatur et quod illo tempore Iosephus Wiedemann agricola possidebat.³² Hōc praedium contractibus diebus 28^o m. Dec. a. 1886^o atque 16^o m. Febr. a. 1897^o iunctis in possessionem P.ris Andreae Amrhein transiit.³³ Erat ergo primum aedificium Ambingense, quod post castellum ad consociationem missionariam

²⁸ Cfr contractus die 23^o m. Febr. a. 1887^o ab episcopo Augustano exhibitus (ASO, A.14.3). Ibīdem etiam explicatur Ambingensem cappellam Sanctae Ottiliae illo tempore statum triplicem habuisse, quia éadem cum castelli aedificio coniuncta revera erat cappella castelli, sed etiam erat oratorium publicum pro incolis Ambingensibus et denique ecclesia filialis paroeciae Aeresingensis. Itaque etiam paroeciae Aeresingensi hac in cappella adhuc iura erant, quae respicienda erant.

²⁹ Cfr Bernita WALTER (1985), p. 75; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 6. - Tamen liturgicas preces horarum semper separatim oraverunt.

³⁰ Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 87 adn. 92.

³¹ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 37.

³² Domus huius praedii in catastro numerum tertium habuit. Praedium autem ipsum inde ab anno 1785 «praedium Ammerianum» appellabatur. - Cfr Leander BOPP: Emming (s.a.), p. 22.

³³ Cfr Leander BOPP (1954), p. 134; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 87 adn. 92; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 44.

pervēnit.

Prioribus temporibus hōc praedium ad castellum quōque pertinuerat, sed anno 1629^o Bernhardus von Gemmingen idem Iohanni Wolf agricultae vendidit, quo modo ab areā castelli separabatur.³⁴ Tunc temporis praedium constituit praeter ipsam domum habitationis ex agris, pratis silvāque, ex horreo frumenti, ex stabulo, ex duobus aedificiis vehiculorum, ex cavaedio atque horto saepto et denique ex domo, quae non solum furno instructa erat, sed quae etiam ad balneandum atque ad lavandaria lavanda apta erat. Cum P. Andreas Amrhein hōc praedium emeret, eodem continebatur area quinquaginta hectarearum.³⁵



Domus Sancti Gabrielis anno 1898^o receptum.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 45.]

Domus autem principalis huius praedii secundum Sanctum Gabrielem nominabatur. Ab initio hac in domo typographicum Ottiliense instituebatur,³⁶ cuius machinae ex Richopago allatae erant. Primum «*Calendarium missionarium*», quod anno 1887^o in lucem editum est, ibīdem imprimebatur. Etiam bibliopegae hōc in aedificio munere suo fungebantur. Tamen haec domus Sancti Gabrielis interdum ad tempus quoddam erat domicilium fratrum et postea discipulorum, antequam iidem ad novum seminarium Sancti Michaelis trans-

³⁴ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 24 sq.

³⁵ Exakte 50,351 ha. - Cfr Leander BOPP (1954), p. 134; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 79; Leander BOPP: Emming (s.a.), p. 38.

³⁶ Cfr HEIDENKIND 3, 1890, p. 123; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 6; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 47.

migrare valuerunt.

2.3.7.3.2. De domo Sancti Raphaelis

Artē cum domo Sancti Gabrielis cohaerebat aedificium iuxtapositum, quod secundum Sanctum Raphaelem appellabatur, cum īdem quōque ad praedium Iosephi Wiedemann pertinuissest atque unā cum domo Sancti Gabrielis emeretur.³⁷

Quando haec domus aedificatum sit, non omnino certum est, sed suspicio est eandem exstructam esse, postquam anno 1861^o totum «praedium Ammerianum» incendio deletum est et deinde Andreas Manhard, possessor illius temporis, non solum prius praedium restituit, sed etiam hanc domum exstruendam curavit.³⁸ Pertinebat autem ad hanc domum etiam stabulum, horreum, cavaedium atque hortus cum furno.

Cum numerus fratrum satis celeriter cresceretur, mense Iulio a. 1889ⁱ horreum ad domum pertinens ita mutari coeptum est, ut ibīdem dormitorium fratrum institueretur. Tamen ab hōc propositō paulo post abstinebatur, quia propter aliud aedificium acquisitum in ipsā domo Sancti Raphaelis duo conclavia fratribus destinari potuerunt, ex quibus unum ad dormiendum, alterum ad commemorationem spectabat.³⁹ Plura his primis annis in domo Sancti Raphaelis videntur non esse mutata.

2.3.7.3.3. De domo Sanctae Annae

Satis celeriter animadvertebatur etiam sororibus magnas angustias habitandi esse.⁴⁰ Eā de causā etiam receptio nonnullarum mulierum, quae domum missionariam ingredi desiderabant, differri debuit.⁴¹ Condicio autem paululo

³⁷ Cfr Leander BOPP (1954), p. 134; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 50.

³⁸ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 26.

³⁹ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 53. - Itaque de hōc aedificio etiam dicebatur esse domum fratrum laicorum. Cfr Heidenkind 3, 1890, p.123.

⁴⁰ Iam in epistula die 30^o m. Apr. a. 1888^o ad episcopum Pancratium von Dinkel directa P. Andreas Amrhein praeter alia scripserat «*necessario aedicandum esse, quia sorores ultimum quoque loculum domus sibi attributae explet et cottidie novae petitiones inscribendi mittuntur.*» (Textus originaliter Theodiscus). - Cfr Paulus WEISSENBERGER: Abt Plazidus Vogel und die Anfänge der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Studia Suarzacensia. Würzburger Diözesangeschichtsblätter 25, 1963, p. 272.

⁴¹ Cfr Bernita WALTER (1985), p. 118; Heidenkind 3, 1890, p. 126, ubi legitur illo tempore quadraginta candidatas praenotatas esse, quae propter angustias loci venire nondum potuerunt.

meliorata est - tamen non ad tempus nimis longum -, cum Catharinae Scheins mense Iulio a. 1888^o contingeret, ut «praedium Baderianum», quod dicebatur, emeret.⁴² Ad hoc praedium stabulum, horreum, cavaedium, furnus et scilicet etiam agri triginta septem hectarearum pertinebant.⁴³

Ad domum autem ipsam,⁴⁴ quae primo secundum Sanctum Andream appellabatur, tamen nonnullis annis post nomen Sanctae Annae accepit,⁴⁵ sorores transmigraverunt, ut ibidem habitarent.⁴⁶

Anno 1890^o quaedam mutationes circa hanc domum factae sunt. Primo cavaedium, quod inter domum Sancti Gabrielis atque domum Sancti Andreae/Sanctae Annae situm erat, ita meliorabatur, ut transitus inter domos propter solum lubricum sordidumque non iam esset periculosum et totus aspectus quoque pulchrior redderetur.⁴⁷ Deinde mense Iunio a. 1890^o duo murarii duoque adiutores ab Engelberto Schnell ingeniario Tutzingensi missi ad aedificium Sancti Andreae/Sanctae Annae domum lavatorium adstruxerunt,⁴⁸ ut hunc in modum labores sororum, quae lavandaria curabant, facilitarentur.

⁴² Cfr Leander BOPP (1954), p. 134; Bernita WALTER (1985), p. 117; Frumentius RENNER: Leuchter I (2¹⁹⁷⁹), p. 135; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 58. Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 273 commemorat epistulam die 11^o m. Aug. a. 1888^o ad episcopum Augustanum directam, quā de hōc praedio ab sororibus empto refertur.

⁴³ Cfr Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 273; Leander BOPP: Emming (s.a.), p. 37; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 7.

⁴⁴ Maria HILDEBRANDT (2008), p. 25 hōc in conexū explicat ad imaginem ab Michaele Wening anno 1701^o pictam referens (*cfr* supra cap. 2.3.1.) praedium Ammerianum (domum Sancti Gabrielis) atque praedium Baderianum (domum Sanctae Annae) verisimiliter cohaesisse, quod aedificium longum atque angulariter exstructum aliquo tempore non satis certo (tamen ante annum 1809^o) in duo aedificia separata divisum esset.

⁴⁵ Haec transnominatio facta est, quia novum monasterium virorum nomen Sancti Andreae accepit (*cfr* infra).

⁴⁶ Cfr Bernita WALTER (1985), p. 117; Paulus SAUTER: Die St. Benediktus-Missions-Genossenschaft. Rückblick auf die ersten zehn Jahre. St. Ottilien 1894, p. 17; Frumentius RENNER: Leuchter I (2¹⁹⁷⁹), p. 135; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 58.

⁴⁷ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 44, 58.

⁴⁸ Cfr Leander BOPP (1954), p. 175; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 58.

2.3.7.3.4. De reliquis aedificiis veteribus

Pauca aedificia restabant, quae ad veterem viculum Ambingensem pertinuerant. Nam in castelli regione septentrionali situm erat aedificium tegularii atque deinde fabri ferrarii.⁴⁹ Sed iam medio saeculo undevicesimo iura cudendi domino castelli vendebantur atque anno 1875^o officina ferraria ab alterā



Vetus officina ferraria anno 1893^o recepta.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 55.]

domo separabatur.⁵⁰ Reliqua autem pars praedii deinde saepius alios possessores habuit.

⁴⁹ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 28; Leander BOPP: Emming (s.a.), p. 33. - Cum officina ferraria anno 1821^o incendio deleretur, illius temporis faber ferrarius Vendalinus [Wendelin] Hirschvogel eandem sumptibus propriis iuxta domum habitacionis denuo exstruxit.

⁵⁰ Vendita est prior officina ferraria Iohanni Antoniaeque Lindner, qui hōc aedificium ad habitandum adaptabant. Die 12^o m. Febr. a. 1892^o P. Andreas Amrhein praedium Lindnerianum ēmit atque deinde nomen Sancti Alexii ei dedit. Tamen haec domus, in qua ad tempus quoddam laniēna et deinde officina vitraria locum habebant, anno 1938^o delecta est. - Cfr Leander BOPP (1954), p. 134; Frumentius RENNER: Leuchter I (1979), p. 135; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 28.

Die 29^o m. Apr. a. 1889^o P. Andreas Amrhein hōc praedium, quod illo tempore Laurentius [Lorenz] Streicher possidebat, ab ipso ēmit.⁵¹ Ad hōc praedium tunc temporis praeter quaedam minora aedicia lateralia etiam 3,286 hectareae agrorum pertinebant. Aedificium autem ipsum mutandum curabatur, cum destinatum esset ad plerasque officinas recipiendas, nempe officinam lignariam, sutrīnam, officinam vestiarium, officinam carpentariam, officinam claustrariam.⁵² Huic aedificio deinde nomen Sancti Iosephi inditum est, id quod optime ei conveniebat, cum Sanctus Iosephus esset patronus opificum.

Ultimum prioris viculi aedificium, quod in possessionem consociationis missionariae transiit, erat vetus caupona Ambingensis. Eadem autem sita erat ante occidentalem partem castelli et videtur iam diutius exstisset.⁵³ Tamen quando atque cur haec domus aedificata sit et ex quo tempore ut caupona in usū fuerit, nescitur.⁵⁴ Videtur vero hac cauponā magnum lucrum acquiri non potuisse.⁵⁵ Hōc etiam ex eo manifestatur, quod decursū saeculi undevicesimi possessores eius saepe atque celeriter mutabantur.

Iohannes Fichtl, qui tempore, quo missionarii venerunt, caupo atque possessor domūs fuerat, tamen per decem annos ibidem iam versabatur. Nihilominus, cum domus missionaria in vico Ambingensi magis magisque extendebatur atque iam muri clausurae erigerentur, idem paulatim condicionibus monasterialibus se nimis circumdatum esse putavit.⁵⁶ Itaque mense Maio a. 1893ⁱ idem totam possessionem denique Catharinae Scheins vendidit.⁵⁷

Ad ipsum autem aedificium, quod praeter pedeplana etiam ex primo tabulato

⁵¹ Cfr Leander BOPP (1954), p. 134; Frumentius RENNER: Leuchter I (2¹⁹⁷⁹), p. 135; Leander BOPP: Emming (s.a.), p. 38; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 28, 63. - Hōc aedificium in catastro numerum quartum habuit.

⁵² Decursū temporis quaedam officinae propter angustias loci ad alia aedicia translatae sunt. De hac re *cfr* infra.

⁵³ In Michaelis Wening imagine supra commemoratā aedificium cauponae iam conspicitur.


⁵⁴ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 26. - Tamen Leander BOPP: Emming (s.a.), p. 21 refert ipsum aedificium paulo ante annum 1714^{um} aedificatum esse. - Ceterum huic aedificio in catastro erat numerus primus.

⁵⁵ Fortasse condicio aliquatenus alia erat illis temporibus, quibus peregrinationes piae ad cappellam Sanctae Ottiliae frequentes erant.

⁵⁶ Tali condicione certe etiam frequentia hospitum exterorum in caupona minuebatur.

⁵⁷ Cfr Leander BOPP (1954), p. 134; Frumentius RENNER: Leuchter I (2¹⁹⁷⁹), p. 135; Leander BOPP: Emming (s.a.), p. 38; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 72.

atque tabulato subtegulaneo constitit, pertinebant stabulum, horreum, cavae-dium, hortum cum furno atque insuper agri prataque triginta quattuor hectarearum.⁵⁸




Sciagraphia hospitii, quod propositum erat.
[ASO, A.14.5.4]

Ipsa vero domus, in quā capona publica fuerat, Engelberto Schnell ingenario Tutzingensi auxiliante reficiebatur atque in hospitium hospitibus monasterii aptum transmutabatur.⁵⁹ Iam in initio anni 1894ⁱ hospites ibidem recipi

⁵⁸ Cfr Leander BOPP: Emming (s.a.), p. 37; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 12; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 72.

⁵⁹ Cfr Paulus SAUTER (1894), p.18; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 72; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 12. - Ut ex delineationibus praeviis apparet, domus denique refecta aspectum simpliciorem praebuit.

potuerunt.⁶⁰ Sed haec domus etiam utilis erat, cum aliis in aedificiis locus



Ichnographia pedeplanorum hospitii.
[ASO, A.14.5.4.]




Hospitium anno 1905^o receptum.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 73.]

⁶⁰ Unā cum aedificio ipso Catharina Scheins etiam iura cauponaria, quae cum domo cohaerebant, sibi acquisiverat. - Cfr Leander BOPP (1954), p. 134; Zur Geschichte der Klosterwirtschaft bzw. des «Emminger Hofes» (auctore anonymo, s.a.), p. 1

habitandi non sufficeret. Sic ex. gr. ibidem operarii extranei, qui in aliis structionibus monasterii occupati erant, habitabant vel etiam alumni in hospitio ad tempus quoddam vitam degebant, antequam castello Ambingensi anno 1894° diruto novum seminarium aedificatum est.

Aedificio autem praedioque cauponae empto totus viculus Ambingensis denique tantummodo in possessione consociationis missionariae erat.




*Aedificiorum Ottiliensium dispositio localis,
quam P. Andreas Amrhein anno 1891/92° delineavit.
[ASO, A.13.4]*

2.3.7.4. De mulierum monasterio Sanctae Catharinae

Primum aedificium novum, quod Ottiliani exstruxerunt, erat monasterium sororum. Ut iam commemorabatur, sorores magnis angustiis loci laborabant, qua in re etiam transmigratio ad domum Sanctae Annae non nimis diu emolumento erat. Itaque P. Andreas Amrhein, quamvis monasterium virorum primo exstruere in animo habuisset, tamen antea in aedificium mulieribus destinatum incumbere decrevit. Hoc etiam eā de causā fecit, ut postulata Congregationis de Propagandā Fide, quibus sorores atque fratres magis inter se separarentur, celerius ad effectum adduceret.

[typoscriptum in archivio Ottiliensi asservatum (ASO, A.12.6)].

Itaque mense Maio a. 1890ⁱ P. Andreas Amrhein mandatum, quo monasterium sororum praedisponeretur, Tutzingensi ingeniario Engelberto Schnell tradidit et iam die 28^o m. Iun. a. 1890^o consilia ab ipso proposita consultationibus cum superiorissa habitis comprobavit.⁶¹ Novum autem aedificium ita dispositum erat, ut in longitudinem quadraginta quinque metrorum atque in latitudinem sedecim metrorum extenderetur et praeter pedeplana duo tubulata atque tabulatum subtegulaneum haberet.⁶²



Pedeplanorum ichnographia monasterii mulierum.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p.81]


Iam die 2^o m. Iul. a. 1890^o area, in qua aedificium erigeretur, praeparabatur. Quae area centum viginti metra ab cappella Sanctae Ottiliae distabat atque in eiusdem parte orientali sita erat. Novum autem monasterium ita dispositum erat, ut eius frontispicium ad meridiem versum esset. Medio mense Iulio a. 1890ⁱ opera ad fundamenta cellariaque effodienda iam incohabantur. His in

⁶¹ Cfr Bernita WALTER (1985), p. 121; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 9; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 80; Frumentius RENNER: Leuchter I (2¹⁹⁷⁹), p. 135; Leander BOPP (1954), p. 175; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 274.

⁶² Cfr Frumentius RENNER: Leuchter I (2¹⁹⁷⁹), p. 1357 Bernita WALTER (1985), p. 120; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 9; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 80; Leander BOPP (1954), p. 175; Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 175.

operibus ipsae sorores valde vehementerque cooperabantur, sed etiam fratres operariique externi manum admoverunt.⁶³ Duobus diebus post fundamenta iam caemento expleri potuerunt.

Labores ergo celerrime progrediebantur, cum non solum ipsi Ottiliani operarentur, sed etiam incolae vicorum circumcirca sitorum auxilium ferrent, imprimis materiis transportandis. Sic factum est, ut die 10^o m. Aug. a. 1890^o



Sciagraphia portae monasterii sororum.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 82.]

lapis primarius iam poni posset.⁶⁴ Caerimoniam autem P. Andreas Amrhein

⁶³ Cfr Kleine Chronik von St. Ottilien vom Juli 1890 bis September 1891. In: Missionskalender 1892, col. 281; Heidenkind 3, 1890, p. 126; Leander BOPP (1954), p. 175; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 80.

⁶⁴ Cfr Paulus SAUTER (1894), p. 14; Kleine Chronik von St. Ottilien. In: Missionskalender 1892, col. 281; Leander BOPP (1954), p. 175; Bernita WALTER (1985), p. 120; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 80; Konrad HECKELSMÜLLER:

exsecutus est,⁶⁵ et hōc quidem unā cum P.re Mauro Hartmann, qui eodem die bene mane primitias⁶⁶ suas celebraverat.⁶⁷

Deinde muri bene creverunt, quamvis opera variis ex causis interdum impediti essent. Nam unā ex parte medio mense Augusto pluvia indesinenter ita ruere coepit, ut operarii ab muris celerius erigendis arcerentur;⁶⁸ alterā ex parte interea difficultates materiarum exortae sunt. Nam non solum multi lätērēs, quos Ottiliani ipsi coquebant, qualitatem non sufficientem habebant, sed etiam lätērum copia, quae ad manum erat, nimis parva erat. Itaque alii novique lätērēs coemendi erant. In laboribus autem transportationis iterum incolae circumcirca habitantes vehiculis suis gratuito magnum auxilium tulerunt.⁶⁹ Tamen maximam partem operum ipsi fratres sororesque exanclarerunt. Hōc spectat imprimis ad interiorem quoque partem aedificii instruendam, ita ut omnes Ottilienses officinae viribus contentis operarentur.⁷⁰ Ita factum est, ut medio mense Octobri a. 1890ⁱ suggrundium erigi posset atque in initio mensis Decembris a. 1890ⁱ aedificium rude confectum esset, cui etiam turricula altitudinis novem metrorum superstructa erat.⁷¹

Sed non solum propter tempestatem, propter materias, propter nimios labores interdum difficultates praebebantur, sed decursū temporis etiam quaestio pecuniaria exorta est, cum pecunia, quae ad sororum monasterium aedificandum in promptu erat, ad finem vergeret. Itaque via quaedam ad pecuniam

Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 9.

⁶⁵ P. Andreas Amrhein episcopum Augustanum Pancratium von Dinkel rogaverat, ut sollemnitati interesset atque lapidem primarium benediceret, sed īdem videtur impeditus fuisse, quominus adesset. - *Cfr* Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 274; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 83.

⁶⁶ Primitiae dicuntur prima missa sollemnisi, quam sacerdos recenter consecratus celebrat.

⁶⁷ *Cfr* Kleine Chronik von St. Ottilien. *In:* Missionskalender 1892, col. 281; Bernita WALTER (1985), p. 120.


⁶⁸ Chronik 1890 (sub die 3^o m. Sept.) (ASO). - Haec condicio scilicet etiam commemoratur in chronicis sororum. *Cfr* Bernita WALTER (1985), pp. 120 sq.

⁶⁹ *Cfr* Bernita WALTER (1985), p. 121 (ex chronicis sororum); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 83.

⁷⁰ *Cfr* Chronik 1890 (sub die 3^o m. Sept.) (ASO), ubi legitur fratres non solum munere murariorum functos esse, sed fratres etiam ut fabros scrīnarios, fabros lignarios, claustrarios, fabros ferrarios fabrosque hydraulicos multum ad opus conficiendum attribuisse.

⁷¹ *Cfr* Bernita WALTER (1985), p. 121; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 9; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 84 sq.

acquirendam invenienda erat. Eā de causā ad problema solvendum plurimae schedulae distribuebantur, quibus homines rogabantur, ut denos penningos ad lātērēm emendum donarent.⁷² Hunc in modum singuli schedularum emp-tores in domo aedificando participare potuerunt, in quo non solum sorores missio-



Delineatio futuri monasterii sororum.
[Heidenkind 3, 1890, p. 127.]

nariae ad munus suum praepararentur, sed in quo etiam pro donatoribus preces funderentur. In anteriore autem parte schedulae conspiciebatur delineatio monasterii futuri⁷³ atque legebatur sententia Theodisca ex libro Regum deprompta.⁷⁴ Illa vero actio schedularum videtur satis efficax fuisse, cum pecuniā hunc in modum allatā expensae aedificationis bene sustentarentur.

⁷² Cfr Heidenkind 3, 1890, pp. 126 sq.; Bernita WALTER (1985), p. 121; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 84.

⁷³ Haec imago atque rogatio donationis invenītur etiam in periodico, q.e. «Infans paganus» [«Heidenkind»] 3, 1890, pp. 126 sq. - Cum autem in delineatione aedificium praeberet aspectum satis nobilem, Paulus Sauter, qui textum composuerat, suspicionibus praevenire voluerat et scripsit aedificium fore satis simplex eoque tantummodo ea contineri, quae sororibus omnino necessaria essent.

⁷⁴ 3 Reg 9,3: «sanctificavi domum hanc quam aedificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.» - Ut Bernita WALTER (1985), p. 121 refert éadem sententia Theodisca adhuc legitur in Tutzingensi aedificio monastriali Benedictinarum missionariorum.

Aedificio exteriore confecto deinde in instructionem internam incumbendum erat. Cum sororum monasterium ita praecogitatum esset, ut centum quinquaginta mulieres reciperentur, plurima restabant facienda. Sed non solum age-



Sororum monasterium Sanctae Catharinae anno 1891^o receptum.

A sinistris cappella Sanctae Ottiliae atque aedificia minora.

[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 85.]


batur de conclave sororum, sed imprimis de oecis ad communem utilitatem spectantibus, velut de culinā, de cenatione, de oecis operatoriis, de oeco conventuum necnon de cappellā. Putabant autem omnes totam rem in fine mensis Iunii a. 1891ⁱ confectam esse, sed retardatio quaedam erat sustinenda, quia multis operariis in novo aedificio exstruendo, quod interea incohatum erat, auxilium ferendum erat, nempe in novo monasterio virorum. Itaque sorores tempore vernali a. 1891ⁱ hortum suum circumcirca monasterium situm instituere atque colere iam coeperunt.

Die 14^o m. Aug. a. 1891^o monasterium sororum revera confectum fuisse traditur.⁷⁵ De instructione autem internā omnes contenti contentaeque fuisse

⁷⁵ Cfr Cyril WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1939, p. 11; Bernita WALTER (1985), p. 122; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 85; Leander BOPP (1954), p. 175 (qui diem 15^{um} m. Aug. indicat).

videntur, ut ex relationibus in chronicis annalibusque exhibitis manifestatur.⁷⁶ Tamen hoc non est mirandum, cum cogitemus de condicionibus angustissimis, quae antea in domibus veteribus aliquatenus neglectis vigebant. Quamvis divitiae pecunariae erogari non potuissent, tamen omnia culte atque opportune disposita erant. Ex oecis «profanis», ut ita dicam, videtur imprimis nova culina cum variis instrumentis utilibus admirationem atque gaudium illorum movisse, quibus aedificium recenter exstructum inspicere licuit.

Tamen maioris momenti erat cappella, quam propriam sorores inde ex illo tempore habebant.⁷⁷ Eadem erat in initio quidem satis simplex, sed picturis ornamentisque exornata. Lacunar quindecim areis rectangularibus partiebatur,



Lacunar, quae in cappella monasterii sororum fuerat.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 86.]

quarum imaginibus ornamenti circundatis scaenae ex vita Sancti Benedicti depromptae monstrabantur.⁷⁸ Primis annis altare principali,⁷⁹ cui figura Sacra

⁷⁶ Cfr Bernita WALTER (1985), p. 122; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 88.

⁷⁷ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 104 sqq.

⁷⁸ Imagine autem centrali, quae exteriorem formam rhombi habuit et inter columnas inveniebatur, videtur pictura sindonis Christi monstrata esse. - Picturae vero lacunaris secundum exempla scholae Beuronensis exaratae sunt.

⁷⁹ Primis septimanis in cappella sororum tantummodo altare simplicissimum constitutum erat, antequam die 29^o m. Sept. a. 1891^o altare inauratum allatum est, quod Iosephus

tissimi Cordis Iesu superposita erat, in pariete meridionali cappellae constitutum erat. Minora altaria lateralia in angulis posita Beatae Mariae Virgini et Sancto Iosepho dicata erant.

Denique die 8^o m. Sept. a. 1891^o P. Andreas Amrhein monasterio mulierum benedictione largitus est.⁸⁰ Eodem die īdem monasterii cappellam quoque sollemniter consecravit atque sanctissimum Sacramentum ex cappella Sanctae Ottiliae illuc transportabatur. Novum autem monasterium mulierum secundum Sanctam Catharinam appellabatur, quod nomen ei etiam in honorem superiorissae impositum est.



Sanctae Catharinae latus meridionale, quod hodiernis temporibus conspicitur.

Cum sorores tunc ad novum aedificium transmigrare possent, magnus progressus in condicionibus localibus factus erat et hunc in modum postulata principalia Congregationis de Propagandā Fide, quā Ottilianaē consociationes

Elsner architectus Monacensis confecerat. Erat autem īdem altare, quod P. Andreas Amrhein, cum anno 1895^o superioratum generalem Romam transferre vellet, sibi postulaverat, ut ibidem constitueretur.

⁸⁰ Cfr Bernita WALTER (1985), p. 122; Leander BOPP (1954), p. 175; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 89; Kleine Chronik von St. Ottilien. In: Missionskalender 1892, col. 283; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 10.

mulierum et virorum magis separarentur, magnā ex parte expleta erant. Tamen Vaticani nondum omnino contenti erant. Nam cum P. Andreas Amrhein aestate a. 1892ⁱ ad relationes proferendas Romae versaretur, ei mandatum impositum est, quo praeter alia⁸¹ monasterium mulierum muro clausuræ circumdandum esset.⁸² Itaque hic murus deinde exstribebatur, qui mense Maio a. 1893ⁱ confectus erat. Sic sorores missionariae paucis annis post fundationem Ottiliensem locum tantummodo sibi destinatum habebant.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 180, 2010, pp. 197-224]

⁸¹ Etiam dicebatur sororum oeconomiam Ottiliensem saepimento circumdandam esse et Africanas domos missionarias mulierum virorumque iuxtapositas, quae in urbe Daressalam sitae erant, ita mutandas esse, ut sedes virorum omnino alio loco institueretur.

⁸² Cfr Paulus WEISSENBERGER (1963), p. 282, qui partes epistulae affert, quam P. Andreas Amrhein die 28^o m. Iul. a. 1892^o ad episcopum Augustanum direxit et quā de hōc effectū consultationum Romanarum rettulit. Scopus autem mandatorum erat in eo, ut coniunctio consociationis sororum atque consociationis virorum tantummodo munere personāque superioris generalis atque communi regulā Sancti Benedicti extaret. - Cfr Bernita WALTER (1985), p. 123.